una mandibula asini mille hostium fudit ac trucidavit,
et hunc hostem superare ac vincere non potuit? O segnem
vecordem atque ignavum militem! sed nolite mirari ~~[illegible]~~:
vincere noluit, vinci voluit. Incidit in fatalem illam Cir-
cen, ex cuius pectore ebrius cum rationis amisisset ocu-
los, non mirum est etiam corporis perdidisse. Qui serpen-
tes amat, viperas exosculatur, scorpiones attrectat, puta-
tis hominis praesentissimo veneno eum non infectum iri?
nemo cum serpente securus ludit, nemo cum diabolo voca-
tur impune. non hostium arma capere, sed seipsum contra
vitiorum phalangem armare; non multa hostium millia trun-
cidare, sed illicita carnis suae desideria amputare; non
de hostibus triumphare, sed seipsum vincere ac de seipso tri-
umphare, hoc hoc, inquam, perfecta victoria est. sed seipsum
vincere non potuit*. at potuit Alexander, P. Scipio
Africanus et alij, quorum in aeternum vivet memoria;
illius vero dedecus in sempiternum permanebit. Illi ethni-
ci, gentiles, Deoque exosi; hic Iudaeus, ac Deo acceptissimus;
illis vana ac terrena mundi huius gaudia proposita;
huic vero, si vinceret, coelestis ac sempiterna gloria promis-
sa fuit, sed respuit, sprevit, contempsit. Salomonem a vitijs
superatum ac perversum mirabimur? eum, qui furiosos